

Americam a Normanis, sed nequiquam, iam XI saeculo inventam esse. Cur non potuerint idem facere Romani veteres, quorum naves non inferiores erant Normanorum navibus?

Quae omnia si probabiliter sint disputata, spero fore, ut coniec-tando etiam ulterius progredi contingat. Locutus est Seneca de terris novis et usque incognitis plenus persuasionis et inconcussae fidei; at vero, erat is in geographiae studiis nec rudis nec inexpertus: documento sunt variae dissertationes geographicae (de motu terrarum; de situ Indiae; de situ et sacris Aegyptiorum; de forma mundi, cet.). Vix dubitari possit, quin is ipse auctor fuerit et impulsor peregrinationum geographicarum, quas Nero, discipulus et alumnus eius, in remotissimas regiones, quales sunt illae ad Nili fontes et in Germaniam septem-trionalem, adornaverat, eo potissimum proposito, ut explorarent res eo tempore obscurissimas: Nili fontes („fontium qui celat origines“, Hor.), et originem sucini. Num enim casu factum est, ut Seneca ipse de Nilo librum scripserit? Quid igitur? Cogitavitne Seneca etiam de Oceani exploratione et de itinere trans Oceanum? Si ita erat, fieri vero potuit, ut versus illos, quos Medae supra memoravimus, eo consilio Seneca inseruerit, ut Caesarem ad novam peregrinationem adornandam concitarent et exhortarentur. Ad hoc aptissime quadrare videtur id, quod Seneca ipse praeter omnes alios geographos Oceani latitudinem minimam aestimavit, ita ut iter et facile et celeriter fieri posset.

Nero et Seneca an de hac peregrinatione adornanda cogitaverint, id nimirum ignoramus. Sed utcumque res sese habeat, dubitari nequit, quin Americae inventio, si minus in usu, at certe in arte et scientia, iam facta fuerit, et quin vetera de novo continente indicia, quae nobis vera et diserta videntur, et per se ipsa plus valere quam recentiorum vel ingeniosissimae coniecturae, quamquam fortuito oblata sunt, et quamquam veram illorum originem ac naturam et quibus e fontibus derivata sint, propter rerum vetustatem et testimoniorum paupertatem igno-ramus.

18. II. 1946

Veselin Čajkanović

AD ČAJKANOVIĆI DISSERTATIONEM „AMERICA TEMPORIBUS
ROMANIS AN NOTUERIT“ ADDITAMENTUM

Hanc dissertationem apparatu critico carentem Čajkanović edidit serbice in actis diurnis *Pravda* inscriptis (4—7 I 1940), versionem latinam vero morbo letifero iam correptus praeparabat sed ad finem adducere non potuit. Quam hic in luce profero talē qualis ab auctore relicta erat quia ille moriens vetuit in operibus suis edendis quidquid mutare, emendatis tantum quibusdam mendis suppletisque lacunis (locus Diodori *Bibl.* V 19 et Senecae *Medae* versus 301—379) et versis aliquot serbicis verbis quae in chirographo relicta erant. Haec omnia

uncis < > inclusi. Lector autem curiosus nescius ne sit, quibus fontibus Čajkanović usus sit, addo nonnullas adnotationes.

De peregrinationibus temporibus Romanis factis disserens Čajkanović secutus est Ludovicum Friedlaenderum, *Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms*¹⁰ 318 ss, 391 ss.

Fl. Zeuxis mercator ille Phrygius est qui Italiam bis et septuagies visitavit, cf. Dittenberger, *Sylloge*² n. 872 Φλάουιος Ζεῦξις ἐργαστής, πλεύσας ὑπὲρ Μαλέαν εἰς Ἰταλίαν πλόας ἐβδομήκοντα δύο...

De Valpurgi Senone vide quod scripsit E. Schröder, „*Walburg, die Sibylle*“, *ARw.* XIX 1916—1919, 196—200.

M. Vasić, *Colons grecs à Vinča, Revue internationale des études balkaniques* I 1934, 65—73 et *La colonie ionienne de Vinča, Zbornik Filozofskog fakulteta Univerziteta u Beogradu* I 1948, 85—285 argumentis non refutandis demonstravit commercium inter incolas regionis Belgradensis et colonos graecos regionis ad ostium Danuvii fluminis iam a fine septimi ante Christum natum saeculi extitisse.

Strabonis opinionem de Pythea Massiliensi vide in *Geogr.* 63, 64, 102, 115, 158, 201, 295. Pythae fragmenta germanice versa et commentariis instructa v. apud H. Hennig, *Terrae incognitae* I 1944, 154—182. Hennig o. c. pp. 86—95 et de Hannonis itinere disseruit, Hannonis autem locus de gorillis hic est (*Peripl.* 16): τέτταρας δ' ἡμέρας φερόμενοι, νυκτὸς τὴν γῆν ἀφεωρῶμεν φλογὸς μεστήν· ἐν μέσῳ δ' ἦν ἡλιβατόν τι πῦρ, τῶν ἄλλων μεῖζον, ἀπτόμενον ὡς ἐδόκει, τῶν ἄστρον. τοῦτο δ' ἡμέρας ὅρος ἐφαίνετο μέγιστον, θεῶν ὄχημα καλούμενον...

18. ἐν δὲ τῷ μηρῷ νῆσος ἦν, ἐοικυῖα τῇ πρώτῃ, λίμνην ἔχουσα καὶ ἐν ταύτῃ νῆσος ἦν ἑτέρα, μεστὴ ἀνθρώπων ἀγρίων, πολὺ δὲ πλείονες ἦσαν γυναῖκες, δασεῖαι τοῖς σώμασιν, ἃς οἱ ἐρμηνέες ἐκάλουσαν γορίλλας...

Marcianus (*Peripl.* I 12: GGM I) hoc de terra australi incognita tradidit: ...τὸ Ἰνδικὸν πέλαγος...διήκον πρὸς τὴν ἑω... καὶ μερὸς Σινῶν τοῦ ἔθνους, ὅπερ τυγχάνει κείμενον κατὰ τὴν πρὸς ταῖς ἀνατολαῖς ἄγνωστον γῆν... πρὸς μεσημβρίαν ἀναχεύμενον ἐπὶ πλείστον, μέχρι τῆς ἑτέρας ἀγνώστου γῆς τῆς κατὰ τὴν μεσημβρίαν ὑπαρχούσης... 44 δύο γὰρ ἀγνώστους ὑπονοεῖν χρὴ γὰρ, τὴν τε παρὰ τὴν ἀνατολὴν διήκουσαν... καὶ τὴν παρὰ τὴν μεσημβρίαν, ἣτις διήκει παρὰ πᾶσαν τὴν Ἰνδικὴν θάλασσαν...

De thesauro nummorum Carthaginensium in Asoribus insulis reperto uberrime Hennig, *Terrae incognitae* I 136—146 disputavit.

Pseudo-Aristotelis verba (*περὶ θαυμασιῶν ἀκουσμάτων* 136) de regione in Oceano Atlantico algarum marinarum plena haec sunt: λέγουσι τοὺς Φοίνικας τοὺς κατοικοῦντας τὰ Γάδειρα καλούμενα, ἔξω πλέοντας Ἡρακλείων στήλων ἀπληρώτῃ ἀνέμῳ ἡμέρας τέτταρας, παραγίνεσθαι εἰς τινὰς τόπους ἐρήμους, θρίου καὶ φύκους πλήρεις. οὓς ὅταν μὲν ἄμπωτις ᾗ μὴ βαπτίζεσθαι, ὅταν δὲ πλημμύρα, κατακλύζεσθαι...

De America a Normanis facta inventione vide quod Hennig, *Terrae incognitae* II 311—351 dicit.